SCHEDIASMA
DE
ACTIBVS IMPERII GERMAN.
IN PRVSSIAM
POSSESSORIIS
FALSO VENDITATIS

INDVLTV AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE
PRO LOCO OBTINENDO
AD DIEM APRILIS SEXTVM. MDCCXXXXI.
H. L. Q. C.
DISSERENDVM PROPONIT

D. IACOBVS HENRICVS OHLIVS,

RESPONDENTE
GOTTLIEB FRIESE,
MEMELA-PRVSSO.

REGIOMONTI,
LITTERIS REVSNERIANIS.

OPTIMO PRINCIPI
FRIDERICO,
PRVSSIAE REGI,

PATRIAE PATRI,
HEROI INCOMPARABILI
MVSARVM APOLLINI



SACRVM.

Serus in coelum redeas, diuque
Laetus intersis populo Quirini:
Neue TE nostris vitiis iniquum
ocyor aura
Tollat, hic magnos potius triumphos.
Hic ames dici pater, atque princeps.

HORAT. Carm. Lib. I. Od II.

IVS IMPERII GERM. NVLLVM IN PRVSSIA EXERCITVM.

§. I.

SI quis vmquam Imperio Romano Germanico aliquid Iuris in Prussiam tribuit aut tribuere vellet, duo ei praecipue fuissent enodanda; aut enim subiectionis & acquisitionis actus, aut exercitium eiusdem atque possessionem Imperii ostendere ipsi incumberet. Quare quoque auctorum, qui sub vlla tantum probabili ratione nexum Prussiae cum Imperio stabilire satagerunt, argumenta, ad alterutrum horum facile referri poterunt; vel enim in eo sunt toti, vt vnde Prussia Imperio accesserit, ostendant, vel actus & testimonia exerciti Iuris imperialis excitare allaborant. Quod ad prius attinet, quam lubricae sint eorum rationes, qui hanc subiectionem propugnant, & quam procul haec acquisitio a rei veritate absit, peculiari ostensum est dissertatione (a). Nec enim Prussiam Imperii finibus origetenus contentam (b), proinde non ad territorium Imperii principale pertinuisse (c): nec quoque Germaniae ex postfacto vmquam acquisitam esse (d) hinc nec ad accessorium quidem eiusdem territorium referri posse (e), monstrare annisus fueram. Et sufficeret hoc, nisi me omnia fallunt, ad omne Imperii ius in Prussiam destruendum; deficiente enim iusto titulo, omnes, si qui essent exerciti possessorii actus, non ius Imperii, sed iniu- Introductio in tractationem.

(a) *Diss. Halae sub praes. Ill* Heineccii *habita: Prussiam numquam Germaniae acquisitam fuisse. ao.1740. Conf. Cel.* Seylcri *Diss. de Prussia nunquam tributaria.* (b) *Diss. all.* §. *II. III. IIII.* (c) *Quam distinctionem habent* Cocceius *I. P. P. cap. II § I.* Spener. *in I. P. T. IIII. L. III. c. I. & alii.* (d) *Diss all. per totum,* (e) Spener. *&* Cocceius *l. all.*

iniuriam Prussiae factam proderent, non possessionis sed immixtionis exercitium probarent (f). Interim quum quam plurimi Iuris Publici doctorum his Imperii actibus rationes suas superstruunt: immo, quod ipse SPENERVS (g), diffiteri non audet, nexum quidem Prussiae cum Imperio infirmo niti talo, actus autem possessorios indubitatam fere ciuitatem germanicam Prussiae loqui putat, iam fidem antea datam (h) soluam, & ne quid praetermissum videatur, actus hosce quos venditant contra sentientes, in lucem producam, numque tales sint, & quid sibi velint, breuibus inquiram. Omnibusque collatis patefieri credo, nullum vnquam possessorium actum ab imperio in patriam fuisse exercitum.

§. II.

Natura actuum possessoriorum & corollaria exinde.

Si itaque id mihi in primis praesumsi negotii, ostendere, actus quos vulgo vt possessorios Imperii Germanici in Prussiam habent, rei veritate tales non esse; in principio statim adnotasse iuuabit, quid nobis iam nomine actuum possessoriorum in Prussia veniat, quaeque vera eorum sint requisita, quo collatione negotiorum Prussiae & Germaniae mutuorum, cum his veris possessionis & dominii characteribus instituta, eo dilucidius perspicere possimus, illos iure an iniuria pro talibus venditari. Est autem possessio effectus dominii (a) estque ea *rei detentio, quae cum animo eam habendi copulata est* (b). Qua definitione rite introspecta & probe consideratis iis, quae habet PVFFENDORFF, (c) patebit actus Imperii in Prussiam possessorios esse, eos *potestatis Germanicae effectus speciales in Prussiam, quibus ius suum in eam terram excercere voluerunt Imperatores & Imperium Germanicum.* Ex hac itaque definitione sua sponte sequitur, inter actus possessorios iniuria referri ea, quae non de potestate Imperii in Prussiam testantur negotia, immo &

(f) Puffendorff *in Iure Nat. & Gent. L. IIII. c. X. §. VI. p. m. 531.*
(g) Spenerus *in Iur. Publ. Tom. IIII. L. III. c. VIII n: e p. 209. coll cap. I. §. VII. n: b. p. 30.* (h) *Diss. mea all. §. vltimo.*
(a) *Ill.* Heineccii *I. N. & G. L. I. §. CCCVI.* (b) Koehler. *Iur. Nat. Excert. VII. §. 1629.* (c) Puffendorff. *I. N. & G. L. IIII. §. VIIII.*

& ea, quae Imperatori non ſpeciatim ratione Germaniae competunt iura. Ex qua obſeruatione fluunt hae concluſiones ſpecialiores. ſi 1) Imperator Germanicus actus quosdam in Pruſſiam edidiſſet, ex quibus eius & Imperii ſuperioritas cognoſci non poteſt, quaeque inter nationes liberrimas nullo nexu clientelari iunctas accidere poſſunt, nullo modo poſſeſſio inde probari poteſt. Quis enim ex iurisdictione arbitraria ſeu arbitrio, quis ex interceſſionibus, remonſtrationibus, pactis guarantiae, foederibus, ſubiectionem colligeret (d). Sed nec 2) in iis actibus poſſeſſio germanica patrocinium quaerere poſſet, quae quidem ſuperioritatem Imperatoris loquerentur, non tamen ex Germaniae titulo, huiusque iuribus in Pruſſiam ipſi competentem. Sic Imperatori aduocatia vniuerſalis competebat, ſed potius ex tacito gentium conſenſu quam reſpectu Germaniae (e). Immo & huc pertinet figmentum illud ſaeculi XIII. & ſequentium de Imperio Caeſaris in Orbem. Sueuorum enim Fridricorum atque quorundam Succeſſorum tempora occupauerat falſa haec de vniuerſali Iure Imperatoris in orbem opinio; quam & in Pruſſiam influxum habuiſſe, iam alibi notaui (f). Sed quamuis in ſe falſiſſimum ſit hoc dogma & mole ſua iam corruat, tamen quoque ſecundum ipſa ſaeculi dogmata, Imperatori quidem ſed non Germaniae ius vetus (g) & vniuerſale in orbem, tribuebat, nec ex Imperio in Germaniam hoc ius ſibi deriuabant ipſi Imperatores, ideoque & Germaniae ne hilum quidem proficere poterat. Quum demum actus hi poſſeſſorii ſint effectus poteſtatis Imperialis, quumque eos ad probandum adhibeant contradicentes. 3) facile eſt ad intelligendum, eos actus hic non in cenſum venire, qui in nudo Imperatoris conatu omni effectu deſtituto (h) conſiſtebant. Studio autem dixi hos actus ad probandam poſſeſſionem & dominium inanes eſſe, ad poſſeſſionem enim fundatam ciuilem, mente conſeruandam, eos

 prodeſſe,

(d) Koehler. *Ius Gent. Spec. VI. VII. §. 1616. 1625 1561. 1729. &c.* Grotius *L. III. c. XX. §. XLVI.* (e) Grot. *L II. c. XV. §. 12.* Beck. *de triplici Imperator. ad voc. Sect. I. &c.* (f) *Diſſ. ſupr. alleg. §. XX. XXI.* (g) *Vid. Diploma Fridrici II. ibi laudatum.* (h) Puffendorff. *l. c. L. IIII circ. fin.*

prodeſſe, ire non poſſum inficias (i), de quo diſcrimine quaedam infra. Notandum interim hic in genere, 4) ſola de Imperatoris In Pruſſiam iure, teſtimonia, quidem de auctoris vel ſcriptoris opinione teſtari, nullam tamen in probatione exſerere efficaciam.

§ III.

Continuatio corollariorum ex actuum horum definitione.

Pergo iam ad caetera actuum Poſſeſſorium in Pruſſiam requiſita. Me licet non monente quisque facile videt, actus qui Pruſſiam poſſeſſam probare debent, quoque in eandem exercitos eſſe oportere. Interim haec adnotatio maximi eſt momenti in doctrina noſtra, ne 5) actus ab Imperatoribus in Ordinem Teutonicum exercitos, eiusque ſub Imperio ſubiectionem, pro exercitio iuris Germanici in Pruſſia habeamus. Habebant enim equites Teutonici ſingularem cum Imperatore germanico nexum, quem iam alibi pluribus expoſui (a), erant ſub tutela & advocatia Imperatoris (b) acceperant innumera, vti ab aliis regibus, ita & ab Imperatoribus Germanicis priuilegia (c). Et quemadmodum itaque ipſis multa iura perſonalia in Imperio competebant, ita & perſonalis inter eos & Imperium intercedebat nexus (d), quem monente SPENERO, probe a nexu reali diſtinguamus. Nec itaque hic nexus Imperii cum ordine ſua natura ad Pruſſiam pertinebat, nec actus ex eo fluentes vlla ratione patriam attingebant, quae ipſa non plenario ſed maxime limitato lure, Ordini Teutonico ſubiecta fuit (e) Poſſidebant praeterea 6) Fratres Teutonici praeter Pruſſiam, & alias prouincias Imperio germanico nexu feudali iunctas, ſic multas in Germania terras indultu Imperatorum ſibi acquiſiuerant, ſic quoque Pomerelliam in patrimonio habebant, &c. Si itaque generaliter de clientela Magiſtri & Ordinis Teutonici ſermo incidit, exinde non fluit Pruſſiae ſtatim ſubiectionem hoc indicare, atque eius reſpectu equites Teuto-

(i) Koehler. *I. N.* §. *1631.*

(a) *Diſſ. all.* § *XV. XVI* (b) *Diſſ. all* §. *XV.* (c) *Quorum integer Liber MStus exſtat in Biblioth. Reg. conf & Duellius in hiſt Ord. Teut. paſſim. & in App.* (d) Spener. *Ius Publ. T. IIII. L. III C. I. §. VII. n: b. p. 30.* (e) *Vid. Diſſ. all. §. VIIII.* Hartknoch. *Alt und N. Preuſſen Part. II. Cap. VIII. § XV ſqq.*

Teutonicos Vasallos fuisse Imperii. Ad vltimum tandem 7) monet definitio, adesse quoque voluntatem exercendi actum possessorium oportere; possessionem enim & scientem (f) & volentem (g) supponere, in vulgus notum est. Non itaque intelligentur actus possessorii, vbi Imperium de Iure suo in Prussiam ne sciuisse quidem patebit, immo si nullo idoneo argumento ostendi potest, voluisse Germaniam vnquam actum possessorium in Prussia exercere, quamdiu scilicet res integra fuit, nec Prussia iam in Poloniae clientelam cesserat. Quemadmodum enim satis ostendi potest, germanos numquam ius in Prussiam exercuisse, ita quoque eos ne cogitasse quidem de Iure constat, antequam ipsis id a Crucigeris, quibus res incipiebat esse angusta domi, persuaderetur. Et haec norma esto, secundum quam actus omnes possessorii in sequentibus relati, & qui praeterea adhuc fingi possunt, sub examen sunt reuocandi, atque eadem haec norma ostendet, nullum eorum, quos obiiciunt, nomen actus possessorii mereri. Singulos ex ordine protraham, & quidem primo Diplomata & Leges Imperii, quae huc pertinere videntur, chronologica sua ratione recensebo.

§. IIII.

In ordine primum est, notissimum illud Diploma Fridrici II. Imperatoris, quo Equitibus Teutonicis potestatem occupandi Prussiam largitur. Pluribus iam de eo actum est, in quantum ius Imperii exinde deriuatur, atque illud titulum quasi Prussiae adquisitae indicat (a). Ostensum est, *Ius illud vetus & debitum*, quod ibi Imperator sibi in Prussiam tribuit, fictione illa Iuris personalis Imperatorii in vniuersum niti, & proinde Germaniae nihil iuris in Prussiam addere (§ II. 2.). Sed restat adhuc aliquid excutiendum; id enim quoque vrgent dissentientes, equites tamen Teutonicos veniam ab Imperatore ad occupandam Prussiam petiisse, eumque hanc iis

Diploma primum Fridrici II. de a. MCCXXVI.

(f) Grotius *I. B & Pac. L. III §. XXVII.* (g) *Ill.* Heineccius *I. N. & Gent L. I. §. CCCVII.* Puffendorff. *l. c. L. IIII §. VIIII.*
(a) *In saepius citata Diss. de Prussia Imperio numquam adquisita, §. XX. XXI.*

iis dedisse (b), atque inde ius aliquod Germaniae deducere volunt. Producunt ad probandum factum verba Diplomatis. Dicitur enim Hermannus a Saltza *deuotam sui animi voluntatem attentius referando, proposuisse coram Imperatore*, & deinde pergit Diploma: *Quam promissionem recepisse distulerat & celsitudinem nostram suppliciter implorabat, quoasi dignaretur annuere votis suis, vt autoritate nostra fretus, inciperet aggredi & prosequi tantum opus, & vt nostra sibi & domui suae concederet & confirmaret serenitas tam terram* &c. (c) Nec quoque expetitio veniae a me in dubium vocabitur, sed aliunde hoc dubium destruendum est. Vt enim rem ex tricis suis euoluamus, duplex ponendus est casus, vnde nempe oriri possit obligatio, ab Imperatore veniam petendi ad Prussiam occupandam. Nasceretur enim vel ex re occupanda, in quam Imperatori antea forsitan aliquod ius competierat, quod inuito adimi non potest, vel ex persona occupantis, quae absque eius consensu nullam rem occupare potuisset. Prior casus Ius aliquod vetus Imperatoris in Prussiam ante ingressum equitum poneret, quod iam supra confutatum est (d). Restat itaque posterior tantum casus, quo haec obligatio ex nexu personali equitum cum Imperatore deriuanda esset. Oriebatur haec ex aduocatia Imperatoris ecclesiastica, qua ordinem hunc religiosum defendere & promovere obstrictus erat (e) Exinde enim primo respiciendum erat Imperatori, ne ordinis circumstantiae & bona minuerentur, & ex ea ratione & hic veniam petitam esse ipsa Diplomatis verba indicio sunt: *vt ad ingressum & conquisitionem continuis & indefessis laboribus bona domus exponeret & personas.* Accedit quod iam obseruauit SENCKENBERGIVS (f) Patrona-

tum

(b) Wurffbain. *rel. Histor. p. 6.* Duellius *Histor. Ord. Teuton. P. I. Sect. II. p 11.* Preussischer Abfall *&c. Conf.* Schweder. *Theatrum Praetens. L. I. cap. XXXXII. p. 117. Edit. nou.*
(c) *Sunt verba Diplomatis, quod apud* Goldastum, Müllerum, Lunigium, Schurtzfleischium, *Hist. Ensif. App p. 27. & ex parte apud* Hartknochium *exstare Diss. all. §. XXI. notaui.*
(d) *Diss. all. §. II. III. IIII.* (e) *Diss. all. §. XV. Diploma apud* Duellium *l. c. in App. Dipl. XX. p. 28.* (f) Senckenberg. *in Iure Austregarum §. VIIII.* Magerus *de aduocatia armata & alii,*

tum ex se iam quandam notionem & scientiam actuum defendendi inuoluere, ne ii defensori in praeiudicium vergere ex postfacto possent, & hinc oblationem proposuisse, & distulisse Equites, deriuandum est. Quum itaque haec iura aduocatiae generalis (§. II. n. 1.), & personalia Imperatoris in ordinem (§. III. n. 5.), pro fundamento habeant, nihil contra libertatem Prussiae probant. Ex his proinde, quae de hoc Diplomate ipso diximus, facile erit intellectu, quid de repetitis, quas iactant, eiusdem a sequentibus Imperatoribus Henrico VII. Carolo IIII, &c. confirmationibus censendum sit, neminem enim fugit, quod iam Ill. LVDWIGIVS (g) GOLDASTVS (h) aliique (i) annotarunt; equites, si quando ex nexu cum Imperio aliquid vtilitatis percipere voluerunt, ad hoc Diploma prouocasse, eiusque confirmationem impetrasse, quod exemplo confirmatio Henrici VII. quo tempore de Pomerellia lis ordini cum Polonis erat, confirmat. Plenissime praeterea huic ex his confirmationibus exorto dubio satisfacit responsio, quam post alios suppeditat SCHWEDERVS (k), confirmationem nil noui iuris addere sed antiquum conseruare, si itaque ex ipso Fridrici Diplomate nil contra Prussiae libertatem obtineri potest, nec eius confirmationes nobis obesse poterunt. Sed tandem nullas quoque reperiri potui confirmationes, nec enim apud GOLDASTVM, nec DVELLIVM vnica exstat. Ea enim Diplomata, quae ordo huc referre videtur apud GOLDASTVM (l), non esse confirmationes, sufficienter earum recensio sola docet. Henrici VII. enim confirmatio emtae ab ordine Pomerelliae & Diploma Ludovici infra enodandum, nemo huc referet. Illas autem Caroli IIII. & Wenceslai confirmationes, non huius chartae Fridericianae, sed alius iam ao. 1221. antequam Ordo de Prussia aliquid cogitaret datae, esse inspectio monstrat.

§. V.

Diploma Fridrici II. secundum de ao. MCCXXXIII.

Conuerto me ad aliud Diploma Fridrici II. de libertate Prussis Liuo-

(g) Ludwig. *im vertheidigten Preussen p. 98.* (h) Goldastus *de Regno Bohemiae L. II. c. 16 p. 236.* (i) Spenerus *in I. P. l. c. p. 209. n. e.* (k) Schwederus *Theatr. Praet. l. c. p. 118.* (l) Goldasti *Reichshandl. fol. 166. sqq.*

Liuonis finitimisque gentibus tributa. Exhibet illud GOLDASTVS (a), & SCHVRTZFLEISCHIVS (b), qui quoque ipse ex hoc inter alios Diplomate nexum Liuoniae & Prussiae cum Imperio deriuare studet, hasque prouincias ea lege Christi Sacra amplexas esse putat, vt inde in ciuitatem Germanicam cederent (c). Fauere quoque id quodammodo huic sententiae videtur, quod Imperator Prussos *sub suam & Imperii protectionem & specialem defensionem suscipit.* Sed haec verba nihil officere libertati Prussiae nec quidquam aliud, nisi Ius illud aduocatiae vniuersalis inferre, statim tam ex ipsis Diplomatis verbis, quam ex occasione eiusdem patebit. Rem ab ouo ordiar. Notum est ex Canonibus Pontificum, Ethnicos non nisi seruorum loco haberi (d) qui si se ad christianam conuertebant religionem, libertorum quasi personam induebant (e), Simulac itaque Ethnicorum quidam christianam adsciuerat fidem, suo quasi iure in libertatem cesserat. Fluebat hoc principium ex dogmate illo *Augustini*, solos fideles legitimos esse rerum possessores (f), vnde & factum est, vt in bellis sanctis & occupationibus terrarum ab Ethnicis possessarum, qui ad Christi castra transgrediebantur libertatem retinerent, qui autem non mutabant religionem, in seruitutem detruderentur. Quemadmodum autem hocce priuilegium multis erat motiuum, ad Christi se conferre doctrinas, sic quoque si hoc negligeretur, & noui christiani facti in seruitute retinerentur, id christiani nominis promotioni, maximo foret impedimento, qui satius putabant, mortem prae seruitute eligere. Hinc & Imperatori vi Aduocatiae vniuersalis incumbebat, prospicere, ne hoc priuilegium negligeretur. Sed non obseruabatur priuilegium hoc ab equitibus Teutonicis, summum Imperium meditantibus, in Liuonia & Prussia christiani Prussi sub

(a) Goldastus *in Constitut Imper. Tom. III. p. 78.* (b) Schurtzfleischius *in histor. Ensif. Ap. Dipl. I. p. 1. sqq.* (c) Schurtzfleischius *in notis ad hoc Diploma, n.* ******* *p. 9 l. c.* (d) *C. 13. X. de Iudaeis c. 21. in f. X. de testibus.* (e) Ricciolus *de Iure personarum extra gremium ecclesiae existentium.* (f) *Conf.* Feuerlini *Diss. de dogmate Augustini, solos fideles esse legitimos rerum possessores, & Diss. nostr. all. §. XX.*

ſub ſervitutis iugum mittebantur, & hoc ordini obiicit Swentepolcus Pomeraniae Dux, qui ipſe initio a partibus ordinis ſtabat, poſtea autem ad Pruſſos defectionem faciebat, & hanc atque bellum contra ordinem inde exculpabat, quia noui chriſtiani Pruſſi in ſeruitutem ab ordine detruſi, & pacta ipſis non ſeruata eſſent (g). Quod quum ad aures Imperatoris perueniret, Diploma hoc, propter aduocatiam ſuam eccleſiaſticam, in ordinem dabat, dareque obſtrictus erat, quo ordini prohibebat, ne nouos chriſtianos in ſeruitutem detruderet. En natales Diplomatis, quae nullam ſubiectionem & nexum cum Germania, ſed protectionem Imperatoris eccleſiaſticam loquuntur! Idem luculentiſſime ipſa quoque Diplomatis verba monſtrant, quae hoc reſcriptum inde promanaſſe dicunt, quod Imperatoris ſit, vt ad ea, *quae libertatis eccleſiaſticae ſtatum & incrementum Catholicae fidei promoverent*, *intendat*. Et *hinc eſſe* dicit, quae in ſequentibus Imperator diſponit. Quare deinde quoque in genere, *vniuerſos & ſingulos eorum ad ſuſceptionem catholicae fidei venientes*, *poſt ſuſceptam fidem cum omnibus bonis eorum*, non in clientes & ſubditos nec in ciues Imperii germanici, ſed ſub *ſua & Imperii protectione & ſpeciali defenſione ſuſcipit*, quae verba aperte tantum Patronatum & Aduocatiam deſignant. Tantum proinde abeſt, vt hoc Diploma ad deſtruendam Pruſſiae libertatem aliquid conferat, vt potius eidem fauere videatur. Primo enim iam monuit Ill. LVDWIGIVS (h), verba haec, *praeſentis ſcripti auctoritate plenam eis & haeredibus eorum intuitu ſuſceptae fidei concedimus & confirmamus perpetuo libertatem*, non obſcure pro libertate Pruſſiae a nexu Imperii ſtare. Saltim tamen ſecundo, ſequentia verba huic ſententiae aliquid ponderis addere credo, vbi Pruſſis *omnes immunitates*, *quibus vti conſueuerunt*, *priusquam conuerterentur ad fidem*, ergo & immunitatem a nexu Germaniae (i) adiudicat.

(g) *Vid.* Schütz. *Chron. Pruſſiae p. 26. f. a.* (h) *Ill* Ludwigius *in Conſiliis Halenſibus. P. II. p. 892.* (i) *Quam iis tum competiiſſe probaui Diſſ. ſaepe all.*

§. VI.

Diploma Tertium Fridrici II. ao. MCCXLVIII.

Restat adhuc vnum ex testimoniis Fridrici II. Imperatoris, vnde Prussiae subiectionem probare volunt contra sentientes. Exstat enim Epistola Fridrici II. (a) ao. MCCXLVIII. data, qua Hermannum a Saltza Magistrum ordinis Teutonici, *fidelem* suum vocat Imperator, ex quo verbo inepta vt videtur collectione ad clientelam Prussiae concludunt. Et nisi me omnia fallunt, hoc voluit DVELLIVS, (b) qui GLADOVIVM (c) sequutus, ius Imperii ex eo, quod Conradus Masouiae Dux fidelis adpellatus sit in hac Epistola, deriuat, in qua tamen nulla Conradi mentio fit. Nec negandum est, Vasallos dictos fuisse fideles, quod probauit DV CANGE (d), quod probant innumera Diplomata. Sed quem fugit, quam varia fuerint Vasallorum Imperatoris omni aeuo genera. In vulgus notum est, vt propius ad rem accedam, officiales Palatinos, qui in curia Caesaris officia gerebant, teste LVDWIGIO (e) non nisi Vasallos fuisse, hosque saepissime fidelium nomine venire ex multis Diplomatibus ab Illustr. COM. DE WVRMBRAND (f) productis patet. Quemadmodum quoque Vasallos curiae & qui feuda in corte habebant, potius, quam Vasallos & principes Imperii fideles, (si in Diplomatibus eorum mentio fit) vocatos esse, Diplomatum docet collatio. Et hoc quoque significatu Hermannum a Saltza *fidelem* vocari, luculentissime docet praesens Diploma, nam a) praeter eum & *Petrus de Vineis*, Cancellarius Imperatoris, & Ioannes a Thaddaeis Curiae Iudex fideles vocantur, b) totum Diploma monstrat, Hermannum in negotiis curialibus adhibitum fuisse, & c) *Episcopum Frisingensem*, (qui Vasallus Imperii erat) non fidelem sed *principem suum* adpellat Imperator, cui vt ita dicam contradistinguitur HERMANNVS fidelis, qui quoque Principis nomine veniisset, si hac denominatione ad Prussiae cum Imperio nexum respiceretur. Ex his omnibus satis con-

(a) *Apud* Goldastum *in constitution. Imp. Tom. III. p. 81.* (b) Duellius. *l. c p. 11.* (c) Gladov. *in der Reichs Historie. p. 420.* (d) Du Cange *in Glossario latin. med. aevi, sub voce: fidelis.* (e) Ludwig. *in Iuribus Feudorum Imperii Germanici. cap. XII. quaest. 2.* (f) Perill. Com. de Wurmbrand, *de Archi Off. Austriacis passim.*

constare credo, denominationem hanc, *fidelis* potius officium Hermanni Palatinum innuere, & magis ex Diplomatibus Fridrici II. apud DVELLIVM, (g) & SCHVRTZFLEISCHIVM (h) quibus Magister & ordo in curiam Imperatoris recipitur, quam ex Vasallagio Prussiae diriuandam esse. Quo & id accedit, quod iam Fridricus Hermannum a Saltza ao. MCCXXVI. antequam vllus Equitum ne quidem Prussiam vidisset, fidelem vocat (i). Sed positis quoque his, fidelis nomen id inuoluere, vt Hermannus terras Imperio subiectas possederit, adhuc tamen infirmissima manet collectio ad clientelam Prusfiae (§. III. n. 6.) quum Hermannus & ordo Teutonicus iam tum quam plurimas terras in Imperio possidebat, (k) immo & feudorum Imperii acquisitionem permultis Diplomatibus ipsi Imperatores confirmauerant. (l) Quorum respectu, *fidelis* Imperii vocaretur, nec opus esset, ad hoc nomen *fidelis* legitimandum Prusfiam accersere.

§. VII.

In nullo autem Diplomate plus in rem suam reperiisse sibi persuadent aduersarii, quam in illo LUDOVICI BAVARI Imperatoris, quod habent GOLDASTVS (a) ex parte DVELLIVS (b) & vt videtur MVLLERVS. (c) Jam HARTKNOCH (d) in hac charta aliquid contra Prussiae libertatem quaerebat, quem sequutus est MVLLER, (e) SPENERVS (f) aliique, qui praesertim ex hoc & supra allegato Fridrici II. Diplomate (§ IIII.) non tantum clientelam, sed proximum fere nexum & ciuitatem germanicam concludi posse putat, quamquam & ipse

Diploma Ludouici Imperatoris de Pomerellia.

(g) Duellius, *l. c. in Append. p. 12.* (h) Schurtzfleisch. *in app. ad Hist. Ensif. Dipl. II.* (i) *In Diplomate Fridrici. §. IIII. discusso.* (k) *De quibus, multa Diplom. apud* Duell. *passim. conf. Preußischer Abfall.* (l) *Vid Dipl. apud* Duellium *in App. Dipl. XIIII. XVII. XIX.*

(a) Goldastus *Constit. Imper. Tom. II. p. 86.* (b) Duellius *Hist. Equitum. Teut. Part. I. p. 32.* (c) Mullerus *R. T. Theat. Fr. V. Part. II. p. 445.* (d) Hartknoch. *Alt. u. N. Preuss. Part. II. p. 620.* (e) Muller. *l. c.* (f) *Spener. J. Publ. Tom. IIII. L. III. p. 30. n. 6.*

ipſe negare non poteſt, verba hic occurrentia quoque de terris laxiori vinculo cum Germania nexis occurrere. Et ipſe Ordo hanc chartam inter Diplomata ſua contra Pruſſiam probantia adlegat, apud GOLDASTVM. (g) Verba, quibus hanc vim tribuunt, ea praecipue ſunt, vbi Imperator Magiſtrum ordinis Teutonici *Principem ſuum* vocat, (quod praedicatum Principum Germaniae ſtatuum fuiſſe §. VI. notaui) quod porro adiicit: *Et nos & Imperium principaliter quaeſtiones vobis motas ſupra terras ordinis veſtri, & vos tanquam membra noſtra & imperii tangere videntur*, & deinde: *ſuper denotatis terris vobis & ordini veſtro ab Imperatoribus & regibus praedeceſſoribus collatis & donatis & auctoritate Imperatorum legitime confirmatis*, tandem quod ſub poena amiſſionis terrarum, ne coram alio Iudice compareant, quam Imperatore, monet. Plene reſponderi poſſit ad hocce Diploma, ex conſuetudine ordinis, fingendi cum Imperio nexum, ſi eſſet res anguſta domi. (h) Premebatur enim tum ordo a Polonis & Pontifice, Imperatoris Ludouici aduerſario. Accedit, nec Ludouicum dogmata ſaeculi ſui de Iure Imperatoris in orbem vniuerſum reliquiſſe, teſtatur hoc Diploma apud LVDWIGIVM (i) vbi praeter fauorem ſuum ordini Lithuaniam, Samogitiam, Ruſſiam dono dat. Nec obiici poteſt, Theodoricum Magiſtrum ordinis Principem vocatum eſſe. Erat forſitan Princeps Imperii propter terras, finibus Imperii comprehenſas. Sed & dignitatem Principis Imperii tum temporis fuiſſe perſonalem, notum eſt, & HERMANNVM A SALTZA, ante ordinis ingreſſum in Pruſſiam, principem Imperii eſſe conſtitutum priuilegio Fridrici, refert BAYERVS. k) Sed optima ex verbis Diplomatis & rei veritate, reſtat reſponſio. Verba chartae monſtrant litem de quibusdam terris motam, has terras quodammodo ab Imperio pendere, propter eas Magiſtrum forſitan Principem Imperii vocari, & inde nullibi, quam coram

(g) Goldaſtus *Reichs-Handl. p. 171.* (h) *Teſte* Goldaſto *de Regno Boh. L. II. c. 16 p. 236.* Hartknoch. *l. c.* (i) *Apud perill.* Ludwig. *in reliq. MSCT. Tom. I. p. 337. & in Act. Boruſſ. Tom. III. p. 549.* (k) Bayer *in vita Hermanni a Saltza im gelehrten Preuſſen Tom. V. p. 31.*

coram tribunali Imperatoris comparere, praecipitur, quare & Diploma non nisi *de terris super quas* quaestiones motae, & *de praenotatis terris*. Sed tum praecipue de Pomerellia agitatam fuisse litem, Prussici, (l) Polonique (m) auctores vno ore confitentur, & ipse DVELLIVS (n) Diploma hoc tantum ad Pomerelliam, Culmensem & Michelauiensem tractum, respicere adserit. Pomerelliae autem nexum cum Imperio initio statim ex hac nostra tractatione relegaui. (o) Nec mirum fuisset, si Ludouicus hunc vrget, quum demum Rudolphus Imperator ante septuaginta, Henricus VII. ante triginta circiter annos iura sua in hanc prouinciam, per confirmationes donationis & venditionum Ducum Pomeraniae & ordinis, exercuerant. (p) Caeterum quod ad Culmensem & Michelauiensem tractum, Ludouicum ad Diploma Fridrici supra (§. IIII.) consideratum respexisse, verba: *auctoritate Imperatorum legitime confirmatis* respicere videntur.

§. VIII.

Ordo iam tangit *Recessum Imperii Augustanum* de ao. MD. vnde nostrae caussae multum periculi instare eo magis videretur, quia ad hunc omnes fere, qui Prussiam Imperio addicunt, se referunt. Historiam eius habet SLEIDANVS. (a) Prouocant ad eum MATTENBERG, (b) LIMNAEVS, (c) BOECLERVS auus, (d) MÜLLERVS, (e) PFEFFINGERVS, (f) SPENERVS, (g) COCCEIVS (h) & multi alii. Verba praesertim huc pertinentia sunt, §. XXXXI. *Von wegen des* Recessus Imperii Augustanus ao. MD.

 Hoff-

(l) Hartknoch. *l. c. p. 300.* Schütz. *L. I. p. 68. &c.* (m) Cromer. *L. XII. p. 597. coll.* Neugebauer *L. III. hist. Pol. p. 198. &c.* (n) Duellius *Hist. Ord. Teut. p. 32.* (o) *Diss. alleg. §. II.* (p) *Vid.* Dipl. *in Act. Bor. l. c. p. 284. &* Lünig. *R. A. v. T. Ord. p. 5.*

(a) Sleidanus *L. XX. Histor.* (b) Mattenberg *de statibus Imperio exemtis. §. 17.* (c) Limnaeus *J. P. L. I. C. XI. n 23.* (d) Boecler. *ad* Grot. *de J. B. & P. L. II. C. IIII. p. m. 143.* (e) Müller. *R. T. Th. Frid. Part. III. C. VI.* (f) Pfeffinger *ad Vitriarium T. II. L. II C. IIII. §. III. n. a.* (g) Spener. *p. 30. §. 7. n. b.* (h) Cocceius *J. P. Cap. V. Sect. I. §. I.*

Hoffmeisters in Preussen ist beschlossen, ihm eine Schrifft von wegen unser und der Stände des Reichs an den König in Poland zu geben, der Meynung, daß wir und die Stände des Reichs verstanden haben, daß der König im Fürnehmen seyn soll, den Hoffmeister zu beschwerlichen Eyden, und anderm zum Abbruche dem Heil. Röm. Reich zu tringen, so aber der Orden allein auf teutsche Nation gestifftet, und niemand anders, denn dem Heilig. Röm. Reich zugehörig, so sey die Bitt, solch Vornehmen abzustellen, und den Hoffmeister bey dem Reich unbetrengt bleiben zu lassen &c. Ex his verbis nexum Prussiae cum Imperio aperte colligi posse credunt. Quaedam monebo, antequam ad Recessus ipsa verba me conuertam. *Primo* tempus huius recessus erat annus MD. proinde annus trigesimus quartus postquam iam Prussia in Vasallagium Poloniae cesserat. Vnde quum realem Prussiae possessionem tum iam Poloni tenerent, actus hic, si esset imperii possessorius, non exercitium & probationem, sed conseruationem Iuris germanici loqueretur. Accedit, *secundo* quod & habet SCHWEDERVS (i), probare hoc tantummodo opinionem Imperii de nexu, per equitum forsitan relationes decepti, quae nobis sola, non obstat, quum illam potius, re penitius introspecta, mutasse Imperium constat, tam ex R. I. de ao. MDXII. quam ex litteris Maximiliani & Caroli adhortatoriis ad ordinem datis (k). Inprimis autem si quis accuratius paullo considerauerit Recessus verba, ea tantummodo de nexu Imperii cum ordine loqui, ad Prussiam, & negotia ad eam pertinentia non referri posse, immo eius ne mentionem quidem iniici, animaduertet. Conquestus fuerat Magister, Regem Poloniae id agere, vt eum & ordinem ad iuramenta nocua & alia in detrimentum Imperii cogat. Petere inde vult Imperium a Poloniae Rege, vt ab hoc proposito desistat, & ordinem Teutonicum ab Imperio non diuellat. Ratio subiungitur, quia ordo tantummodo in nationem Germanicam fundatus esset & ad neminem nisi Imperium pertineat. Certe nisi me omnia fallunt, haec non nisi Iura Germaniae in ordinem ex fundatione, & Protectionem Impe-

(i) Schweder. *Theatrum Praetensionum L. I. p. 117. e. n.*
(k) *Apud Prilusium in Diplomat. Regn. Pol.*

Imperatoris loquuntur. Ex rei historia hoc clarius euadet. Querela haec ordinis ex pace Thorunensi (l) deriuanda est, in qua quum Prussia in clientelam Poloniae deuenerat, Magister 1) ad iuramentum obstringebatur, *se, commendatores, conuentus, Praelatos, Barones &c nullum alium, quam Casimirum & Pontificem Romanum, pro capite & superiore recognituros*, illumque *protectorem NB. ordinis fore*, quod & adnotauit BOECLERVS Sen. (m) 2) articulo huius pacis XI. continebatur, quod ordo obligabatur, *personas idoneas ex subditis quoque Polonicis in fratres Teutonicos adsciscere, idque ad dimidiam vsque partem.* Prius certe momentum aduocatiae & Protectioni Imperiali, quae caesari in ordinem competebat derogat, posterius fundationi ordinis, qui in nationem Germanicam institutus erat, obesse videbatur. Quum itaque Fridricus Saxo Magister post iam quinquies a decessoribus praestita homagia, iuramentum hoc detrectare inciperet, his rationibus & Germaniam in suum auxilium trahere satagebat, quod propriam eius rem agi, hisque pactis laesam esse moneret, & hanc solummodo explicationem admittere Recessum, verba, *so aber der Orden allein &c.* docent, quae petiti rationem in se continent. Et his quoque rationibus ordinem semper Imperatorem ad succurrendum contra Polonos excitare voluisse, prolixior illa Fridrici deductio ao. MDV. Imperatori Coloniae oblata demonstrat, vbi eadem haec ex Iure aduocatiae Imperatoris & iuribus nobilium Germaniae depromta argumenta vrgentur (n). Immo tandem potius tantum abest, vt hic recessus de Iure Imperii in Prussiam testetur, vt potius contrarium loqui, alibi ostenderim (o). Si ordo *inquit* (p) membrum imperii esse velit eum quoque, quemadmodum ceteri, Imperatorem pro domino directo recognoscere oportere. Quid quaeso luculentius rem expedire potest, tum temporis Prussiam nondum membrum Imperii, nec ordinem ratione Prussiae, Vasallum Imperii fuisse.

§. VIIII.

(l) *In Volum. Privilegiorum Pruss p. 23. a. in med. p. 24. b. in med.* (m) Boecler. *ad* Grot. *l. c.* (n) *Apud* Schutzium *p* 408. b *in* m. *& circ. fin.* (o) §. 24. *Diss. all.* (p) §. XXXX, *Weiter ist beschlossen.*

§. VIIII.

Comitia Treuirensia eorumque Recessus ao. MDXII.

Supersunt adhuc vltimo comitia Treuirensia, de ao. MDXII. vbi de prussicis negotiis actum esse nouimus. Viderunt quidem plurimi, haec potius pro Prussiae libertate, quam subiectione dimicare, quare ea in rem nostram Ill. LVDWIG. (a) SCHWEDERVS (b) & ipse dissentiens STRVVIVS (c) producit (d) idque eo maiori iure, quia recessus, Prussiam ne membrum quidem Imperii hactenus fuisse, ipse confitetur. Interim tamen haec comitia quoque contra nos dirigit BOECLERVS nepos (e). His enim in comitiis deliberatio fuit, de Prussia Liuoniaque, quemadmodum & Bohemia in circulum Imperii reducendis, nec plane absque specie concludit, id certe fieri non potuisse, nisi Prussia Imperio fuisset clientelaris. Praeuidit quidem BOECLERVS responsionem maxime fundatam, Prussiam & Liuoniam, non minus ac Bohemiam teste GOLDASTO (f) restitisse, nec vmquam rem ad effectum esse perductam, quod destruere potius quam adstruere iura Imperio videtur. Sed & hoc obstaculum remouere allaborat vir Doct. Respondit, obstitisse quidem Prussiam & Liuoniam, sed quoque Bohemiam, quae tamen absque vllo dubio membrum erat Imperii. Sed nil valet responsio haec BOECLERI, nec plus probat, quam solam hanc abnegationem ius Imperii non destruere, probandum autem erat, quod adstruat. Etsi enim non negarim, Bohemiam tum fuisse Imperii membrum, id tamen ex hac, de ea in circulum redigenda consultatione colligi nequit, idque alia ratione probandum esset. Nec sequitur haec ratio argumentandi: Bohemia & Prussia detrectarunt, in circulum Imperii redigi, Atqui Bohemia fuit membrum Imperii, ergo & Prussia. Vnius enim effectus diuersae possunt esse caussae. Habuit Bohemia, quare hanc detrectabat mutationem, quae saluo cum Imperio nexu consistere poterant. Sed habuit Prussia alias, cur idem negabat, quae tamen nexui cum Imperio repugnabant. Quamuis enim tum ab

(a) Ludwig. *Verthaid. Preuss. p. 97.* (b) Schweder. *l. c. p. 116.* (c) Boecler. *de Iure Imperii in Liuoniam. p. 96.* (d) Goldastus, *de Regno Bohem. L. II. c. XVI. n. 2. p. 237 vid.* Limn. *J. P. L. I. c. 7. p. 37.*

ab Imperio auxilia peteret, noluit tamen eius membrum esse nec itaque in circulum referri, quod & in caussa intermissorum auxiliorum fuisse, putat SPENERVS (g). Quamuis itaque pro libertate Prussiae non monstranda non sufficiat eius abnegationem redactionis in circulum adlegasse, plene tamen sufficit, quod ipse recessus id ideo factum esse dicit, (h) quia non constet, an Prussia membrum Imperii esse velit.

§. X.

Infeudatio ordinis de Prussia.

Examinatis itaque iam Diplomatibus & Legibus Imperii, quae nexum Imperii cum Prussia clientelarem probare creduntur, ad eos actus me conuerto, quae ex hac subiectione fluxisse videntur. Sed si actus ex subiectione fluentes hic loci considerandi sunt, non nisi de eo tempore tales fingere possumus, quam quo Prussia nemini praeterea erat subiecta. Quum autem historia nos edocet, Prussiam ao. MCCCCLXVI feudum Poloniae factum esse, sponte sua sequitur, eos quae post hunc annum excitantur actus, in rei veritate, Imperii iura, eorumque possessionem realem non probare, quod vbique in sequentibus est notandum. Sed haec rei veritas a communi opinione differt, nec prius Prussiam Imperio abreptam, quam quum ordini eriperetur, ex persuasione ordinis credunt. Quum ergo Prussia contra adsertores Germanicos defendenda est, & eorum ordinem sequi libet, actus post Alberti ab ordine defectionem ad vltimum reiecturus. In primo saltim, quem iam produco, actu ob rei naturam ab hac regula recedam. Est ille continua, quam iactant, infeudatio ab Imperatore propter Prussiam ab ao. MCCXXV. ad nostra vsque tempora data. Prouocat ad hanc ordo ipse (a) in scriptis contra Prussiam, & inde eam excitat SCHWEDERVS (b). Et certe si hoc probari posset, victas darem manus. Sed tantum abest, vt hoc vsque ad annum MCCCCLXVI. immo quod magis est, vsque ad amissam ab ordine Prussiam vllo documento vel testimonio fide digno euinci

 possit,

(g) Spenerus *l. c. p. 70. n. d.* (h) *Dict. Recess. Imp. §. XXVI. dem Hoffmeister von Preussen.*

(a) *Tam*, im Preussischen Abfall, *quam im abgenöthigten grauamine.* (b) SCHWEDER, *l. c. p. 118.*

posſit, quod notarunt Illuſt. LVDWIG. (c) & SCHWEDER. (d) vt potius contrarium alibi (e) quoddammodo probatum dediſſe, mihi blandior. Certe Legatus polonus ao MDXXXII. in ipſis comitiis profiteri non dubitat, numquam prius vel ſcriptum vel auditum eſſe, quod pro terris Prusſiae quis regalia acceperit (f) ab Imperio Poſt autem ab ordine ao. MDXXV. auulſam, continua ſerie huc vsque ordinem regalia pro Prusſia ab Imperio accepiſſe, nemo quidem negat, ſed nemini quoque non ſatis facit hic reſponſio Illuſtr. LVDWIGII & SHWEDERI. Conſeruauit his actibus forſitan ordo & Imperium ius ſuum in Prusſiam, ſi quod habuit. Non itaque ius Imperii probant, ſed probatum ſupponunt, eſt haec inueſtitura abuſiua, quae nec nouum ius addit, nec aliter valet, quam cum clauſula, in quantum de iure. Pluribus haec habet Ill. LVDWIG. (g) Reſtat, vt adhuc obiectioni cuidam occurram. Concederet quis forſitan vsque ad Alberti depoſitionem ordinis, nullam Germaniae in Prusſiam ius fuiſſe. Sed obtuliſſe ordinem Teutonicum Imperio ius ſuum in feudum, inde Imperio ius nouum in Pruſſiam accreuiſſe. Elegantiſſima haec eſt fictio, quam habet Perill. DOM. DE LVDWIG. (h) Conuenit optime cum ratione prima HERTII (i) Feudorum oblatorum, praeſertim quum Iura & praetenſiones in feudum dari (k) & offerri (l) poſſe, inter omnes conſtet Sed primo hoc quoque certe eſt fictio, quae nec ordini ipſi vmquam in mentem venit, nec cuidam alii, qui Pruſſiam Imperio adſerere voluit. Ipſe ordo Teutonicus actus hos tantummodo continuatos habet. Fictio noſtra duplex ponit factum, (m) alterum oblationem, alterum infeudationem, poſterius non negatur, prioris nec vola nec veſtigium reperitur. Ex ipſo potius actu infeudationis a VENATORE (n) curate

(c) Ludwig *V. P. p. 136.* (d) Schweder. *l. c. p. 118.* (e) *Diſſ. all. §. XXII. XXIII.* (f) *Zugaben zum Verth. Pr. p. 70* (g) Ludwig. *V. P. p. 81.* (h) Ludwig. *Halliſch Anzeigen anni 1740. n XXIIII. p. 388.* (i) Hertius *de feudis obl. cap. I* §. 4. (k) Finckelthauſ. *Diſſ. Feud. IIII.* (l) Hertius *l. cit. cap. II. § VII.* Thomaſius *de feudis oblatis. C. II § III.* (m) Hertius. *l. c. cap. II. §. XXVI.* (n) Venator. *p. 242 245. n.*

te descripto contrarium patet, & Comes ab Helfferstein, quum feudum Prussiae ab Imperatore peteret, non ex oblatione, sed quia Albertus ordinem reliquerat, illud in nouum Magistrum ex illo transferri cupiebat. Plene tamen rem expedit ipsa Illustr. LVDWIGII (o) responsio: Supponit casus noster, ordinem Imperio ius aliquod obtulisse, ergo ordini aliquid iuris in Prussia remansisse necesse est, sed ius dominum directum sibi eligendi, iam diu ex anno MCCCCLXVI. amiserat ordo, quum Prussia Poloniae in feudum cedebat, nec ius ordini aliud in Prussiam remansisse, iure eos ex Prussia pulsos, iure eam Vasallis a domino directo propter feloniam abreptam, clarissime Perill. de LVDWIG. (p) aliique explicarunt.

§. XI.

Maximus autem Iuris Imperatoris Germanici in Prussiam effectus fuisset Iurisdictio, ab eo in Prussia exercita, qua (sensu latissimo sumta) (a) Caesari ius leges ferendi, & potestas quoque iudiciaria competiisset. Defendunt HARTKNOCH, STRVVIVS, MVLLERVS, SPENERVS, BOECLERVS (b) aliique, hoc obtinuisse. Et quidem, quod primo ad potestatem leges ferendi attinet, imprimis ad priuilegia Prussis data, eorumque confirmationem se referunt, & certe, si nil magis, teste KVLPISIO (c) supremum Imperium Imperatoris in Germaniae partibus loquitur, quam si Imperator subditis priuilegia tribuit; multum obtinerent, si hoc in facto probarent. Sed multa hic obsunt. Praeterea quod nondum satis expediti sit iuris, an priuilegia non nisi subditis, an quoque exteris dari possint, quod vltimum praeter alios defendit Illust BOEHMERVS (d), id tamen hic considerari meretur, quod de priuilegiis, ab Imperatoribus & Principibus, clericis & relligiosis personis tributis, saeculi dictitabat relligio, quae huc pertinere quisque perspicit Quod enim in specie ad ordinem attinet Teutonicum, ei multa ab Imperatoribus regibusque data sunt priuilegia, Priuilegia ordini & Prussiae data.

 quae

(o) Ludwig. *Hall. Anz l. c.* (p) Ludwig. *V. P. per tot.*
(a) Mascou. *I. P L. V. c. II. § I.* (b) Hartknoch. *p. 620. & reliqui omnes loc. cit.* (c) Kulpis *ad* Monzamban *cap. V. §. 6.* (d) Boehmerus *I. P. Vniu. p 431.*

quae ſcripta (e) & impreſſa (f) exſtare nouimus. Dabantur autem haec pietatis & relligionis ſtudio, in ſalutem animae & aeternam retributionem, (vt Diplomata plerumque loquuntur) perſonis his relligioſis, fuerunt proinde perſonalia, multa ab Imperatoribus vt ordinis protectoribus data. Sed omnia haec libertati Pruſſiae non obſtare nouimus (§. III.). Nec ab Imperatore, reſpectu terrarum ordinis in Germania tributa, cauſſam noſtram feriunt, quamuis vel haec Equites in res Pruſſicas traxerint. De Pruſſia agentia, eaque vera, monente THOMASIO (g), nec effectu deſtituta, contra nos aliquid facerent. Sed ſi ex his in priuilegia nobis oppoſita inquirimus, non multa, vt iactant HARTKNOCH & STRVVIVS (h), ſed nulla repiriemus. De priuilegio Fridrici II. quod primo obiicit HARTKNOCH, iam ſaepius egimus (i), illudque ex ficto in orbem Imperio fluxiſſe nilque contra nos euincere oſtendimus. Caetera a Fridrico II. & Carolo IIII. data priuilegia perſonalia fuiſſe, nec Pruſſiam tangere, inſpectio docet apud DVELLIVM (k) & GOLDASTVM (l). Priuilegium nobilitandi Magiſtris datum quod HARTKNOCH ex Chronico latino in Pruſſia valuiſſe refert, non quidem inueni apud DVELLIVM, ſed & hoc datum nemo mirabitur, qui illud perſonale eſſe, immo ſaepe quoque Comitibus Palatinis conceſſum fuiſſe, in mentem reuocabit. Nec ex exercitio huius priuilegii in Pruſſia, quis aliquid aduerſi colligere poteſt, quum ordinem ſua e Germania priuilegia ſaepe ad Pruſſiam adplicaſſe, immo iis temporibus teſte SPENERO (m) ſolemne fuiſſe, conſtet, id demum per priuilegium ab Imperatore perpetrare, quod ipſi ſuo iure facere licuiſſet. Et quis tandem hoc mihi tollere poterit adſertum, hoc nobilitandi priuilegium ex extenſione illius, quo, qui in terram ſanctam peregrinabatur, nobiles fiebant, fluxiſſe. Quod porro adſerit HARTKNOCHIVS, Ordinem ortis de telonio, dem Pfund-Zoll, controuer-

(e) *MSt. in Bibliotheca noſtra regia.* (f) *Apud* Duellium *paſſim, &* Gold. *R. Handl p. 161. ſqq.* (g) Thomaſius *ad allegat.* Kulpiſii *locum.* (h) Struuius *Iur. Publ. Pr. cap. IIII § 14.* (i) *Diſſ. all. §. XXI. & ſupr. §. IIII.* (k) Duell. *in append.* (l) Goldaſt. *l. c.* (m) Spener. *I. P. Part. V. L. IIII. c. V. §. VIII. n. a.*

trouerſiis priuilegium accepiſſe, id nobis non obſtat, quum *a*) priuilegia ſaluo tantum iure cuiuscunque valent (n), *b*) quumque titulum conceſſi demum huius telonii, non ex priuilegio Imperatoris, ſed ex pactis cum ſtatibus Pruſſiae deriuandum eſſe, docet SCHÜTZIVS (o), quum *c*) quod miror non vidiſſe HARTKNOCHIVM, hoc non nouum ſed Fridrici II. illud, quod iam profligaui, ſit priuilegium (p), quod ſemper in ſuam vtilitatem adlegare conſueti erant equites. Alia praeter haec priuilegia Pruſſiam tangentia inuenire nequeo, neſcio an eadem ſint, an alia, quae habet MÜLLERVS, quem mihi euoluere, non licuit.

§. XII.

His quoque aliquid de confirmatione foederis & priuilegiorum Statuum Pruſſiae addam, vtramque ab Imperatore ipſi Status petierant & impetrauerant, & vtraque ideo cum quadam ſpecie nobis opponi poſſet. De tempore confirmationis foederis diſſenſus clariſſ. LENGNICHII (a) ab SCHÜTZIO, nos proprie non tangit. Nec iam in eo cauſſae noſtrae quaeram praeſidium, vt cum MÜLLERO b) eius authentiam in dubium vocem, quam iam quoque vindicauit Clariſſ. LENGNICHIVS (c). Nec negare hanc opus eſt, quum id rem ſatis expedit, quod ſupra (§. III.) adnotaui: ea nempe negotia, quae ſua natura & inter gentes liberas expediri poſſunt, ad probationem actus poſſeſſorii Germanici, nil conferre. Quod ſi itaque hanc confirmationem foederis & priuilegiorum nullam ex ſe inuoluere ſubiectionem oſtendero, officio me feciſſe ſatis, crediderim. Duobus haec probatio abſoluitur poſitionibus, 1) negotiorum confirmationem, quae & absque confirmatione valuiſſent, nullam indicare ſubiectionem; 2) foedus & priuilegia Pruſſorum & absque confirmatione Imperatoris valitura fuiſſe. Quod ad prius: Quae negotia & pacta per ſe iam firma ſunt, ea firmitatem ſuam, ex confirmationum auctoritate non trahunt, proinde ſi & horum confirma-

Confirmatio foederis pruſſici & priuilegiorum ab Imperatore impetrata.

 firma-

(n) Spener. *l. c. p. 168.* (o) Schütz *L. IIII. p. 151. a.*
(p) Idem *p. 146. b.* Venator *p. 188. &c.*
(a) Lengnich. *Poln. Biblioth. Part. VIIII. p. 299.* (b) Müller. *R. T. Th. Frid. V. p. 457.* (c) Lengnich. *l. c. p. 273.*

firmationes nihilominus adsunt, non nisi tantummodo promissiones & quasi fideiussiones inferunt, omnia seruatum, nec a quodam impune impugnatum iri. Sed tales quoque inter liberas gentes contingere, & guarantiarum nomine veniri adnotarunt KOEHLERVS (d) & Ill. HEINECCIVS (e), vt proinde Sanctionis, quae iam in omnium ore est, pragmaticae guarantiae a multis Principibus praestitae non nisi species sint confirmationum. Quum autem nihil subiectionem indicat, quam quod a Superiore tantummodo potest expediri, confirmationes quoque negotiorum per se firmorum, nullo modo subiectionem loqui patet Quare & Leges iam Romanae, in Iurisdictione, quae inter volentes expediebatur, quo & haec pertineret confirmatio, & iudicem incompetentem (f) & extra territorium iudicantem (g) admiserunt. Sed, quod ad posterius, foedus Prussorum per se iam firmum fuisse, probauit Clar. LENGNICH, ad nil enim aliud conflatum erat, quam ad conseruationem iurium suorum (h), porro iis competiisse facultatem ex hac ratione foedus pangendi, nouimus (i). Immo si confirmatione opus fuisset, non Imperatoris sed Magistri hic aliquid effecisse constat. Sic e contrario, si per se foedus non stetisset, nec ex confirmatione Imperatoris ei additum fuisset robur. Promisit itaque tantummodo per hanc, praesidium contra omnes in foedus machinationes; expetebant eam status, non quia necessaria erat, sed quia equites ipsi semper ad Imperatorem ordinis protectorem prouocabant, & cuius confirmationem impugnabant, impugnando foedus quod non facturos, pendentiam & reuerentiam erga ordinis patronum prohibituram esse, sibi persuadebant. Idem quoque de confirmatione priuilegiorum ao. MCCCCLII. petita & data tenendum esse, monebit iam Clar. LENGNICH (k). Erat haec confirmatio ad hunc casum a statibus expetita promissio & guarantia Imperatoris, de non violandis eorum priuilegiis, erat actus plane extraordinarius numquam vsitatus, proinde

(d) Koehler. *Ius Gent. Diff. VI. §. 1561.* (e) Heineccius *I. Gent. §. CCVIIII.* (f) *L. 27. L. 30. de donat.* (g) *L. 2. de offic. Proc. L. 36. §. I. de Adopt.* (h) Lengnich. *l. c. §. VIII. p. 259.* (i) Idem *§. V--VIIII.* (k) Lengnich. *l. c. p. 277. n. e.*

proinde ex circumstantiis diiudicandus. Erant inter ordinem & status Prussiae lites, quarum arbiter electus Imperator, litium caussa erat foedus, quod ad conseruationem & tutelam priuilegiorum pactum fuit. Per hanc itaque priuilegiorum confirmationem, caussae statuum ab initio prospiciebatur, eorumque priuilegia vim quasi documentorum publicorum obtinebant, eodem enim tempore & priuilegia sua confirmari & ordinem in litem trahi curabant. Tandem qui ex confirmatione priuilegiorum, Prussiae clientelam euincere vellent, nimium probando, nihil probant, confirmatio enim solemnis priuilegiorum territorialium, teste LYNCKERO (l) non dominium directum, sed superioritatem territorialem seu vtile loquitur, quam certe Imperatori nemo aduersariorum tribuet Neminem praeterea harum confirmationum verba offendant, quae nil nisi stylum curiae Imperialis sapiunt (m).

§. XIII.

Alter effectus in Prussia foret iudiciaria Imperatoris potestas, & certe si Imperator fuisset iudex in Prussia supremus ordinarius, speciem saltim hic actus possessorius magnam prae se ferret. Sed primo non mirandum esset, si Imperator in quibusdam caussis & litibus aduersus ordinem motis iudex fuisse, deprehenderetur. Attribuimus enim ei saepius (a) aduocatiam in ordinem, cui quodammodo adhaesisse notionem, vel quandam Iurisdictionem in litibus ordinis nouimus, (b) quod innumerae Principum in Germania aduocatiae testantur. Quare quoque si ordo reus esset, coram Imperatore conueniri potuisse immo in controuersiis ordinis Imperatorem ad forum suum trahere voluisse, quod ex Diplomate LVDOVICI patet, (c) non negarim. Sed hoc personalem in ordinem indigitat Iurisdictionem. Ii casus hic potissimum in censum veniunt, vbi Iurisdictio

Iurisdictio Imperatoris in Prussia.

(l) Lyncker. *de Superioritate territoriali p. m. 25.* Cocceius *I. P. P. c. XXIII. §. 8.* (m) *Sunt Diplomat. apud* Schütz. *L. IIII. p. 164. b. & p. 172. b.*

(a) *Diss. all. §. XV. & alibi.* (b) Mayer *de aduocatia armata & Senckenberg. Iur. Austraegar. §. VIIII. p. 19.* (c) *Vid. supra §. VII.*

risdictio Prussos tetigit, & in his Imperatorem numquam iudicem ordinarium fuisse defendere audeo, quamuis non negarim, semper studio id egisse, vt Equites Teutonicos lites suas ad forum Imperatoris trahant, vbi in curiam recepti sibique quam plurimum faueri cognoscebant. Interim tamen Status ipsi ordini coram Imperatore obiiciunt, quod eum ordo non velit pro iudice ordinario agnoscere (d). Lites autem inter Prussos & ordinem imprimis post pacem cum Polonis ao. MCCCCXXXVI. factam, oriebantur, vbi ordo priuilegiis statuum Prussiae insidiari cepit. Et hic duplex obiicitur casus excercitae ab Imperatore in Prussia Iurisdictionis. Primus propter telonium, den Pfundzoll. Historiam huius habent SCHÜTZIVS & Clar. LENGNICH (e). Ordo hunc ex priuilegio Imperatoris deriuabat, (de quo §. XI.) ad eum prouocabat, & citationem in Prussos extrahebat. Sed praeterquam quod huic intentato ordinis prorsus inconsueto, contradixisse legatos statuum legimus, (f) ipse Magister hanc citationem, non ex Iurisdictione Imperatoris, sed exinde eliciebat, quia ei, qui dedit priuilegium, eius quoque competat interpretatio (g). Imprimis autem hoc exemplum ideo nil probat, quia nec comparuerunt status, nec sententia lata, nec quaestio amplius mota est, postquam ex pacto telonium hoc Magistro cesserat. Alterum exemplum adhuc minus probat. Tangebat dissidium inter ordinem & Status Prussiae propter foedus, & causam hanc ab vtraque parte coram Imperatore ventilatam esse, ire non possum inficias. Sed quum omnis historia doceat, Imperatorem non vt iudicem ordinarium, sed expresse vt arbitrum iudicasse, hoc & naturali (h) & ciuili Iure (i) magis pro libertate quam subiectione Prussiae dimicat. In arbitrum autem tantum electum esse Imperatorem, & expressa verba & circumstantiae omnes volunt. Nam 1) de eligendo arbitro consultabatur, & vna cum Imperatore Pontifex, Rex

(d) Schütz. *p. 188. b.* (e) *Idem. p. 146. sq.* Lengnich. *l. c. p. 262. sq.* (f) Schütz. *p. 149. b. c. fin.* (g) *Idem. p. 149. a. c f.* (h) Grot. *de J. B. & P. L. III. Tit. XX. §. 46. 2.* Puffendorff, *Ius Nat. & G. L. VII. C. I. §. VIIII.* (i) *L. 9. §. 2. de receptis & qui &c.*

Rex Poloniae, quidam Principes Germaniae, quidam episcopi Liuoniae & Prussiae proponebantur. (k) Deinde 2) iudicio & sententiae Imperatoris praescribebatur terminus, vnde verba legatorum (l): *Daß Kays. Mag. nicht ferner noch weiter Erckentniß thun werden, denn auf diesen Rechtsatz angesehen dieselbe als ein wülkührlicher Richter &c. erwehlet worden.* Porro 3) Prussorum legati, contra Electorum Statuumque, qui alias Imperatori a consiliis sunt in caussis Imperii, se opponebant, quia arbitri electio personam non egreditur, (m) & 4) quum Imperator fines arbitrii transgressus esset, quater per notarios publicos id prohibebant (n). Ex his & multis aliis a SCHVTZIO & Clar. LENGNICHIO relatis luculenter constat, verum esse, quod hic testatus est Germanus, Georgius Podiebrat, Imperatorem non esse Prussorum dominum directum sed ad decidendam controuersiam hanc constitutum arbitrum (o) & quod Prussi ipsi; eos nullam comparendi coram tribunali caesareo tum arctasse conditionem vel potestatem, quum Imperiali ditioni se numquam tentur subiectos esse (p). Nec itaque hoc Imperatoris arbitrium derogat ei, quod profitenter Status Prussiae, quodque omnibus opponi potest actibus possessoriis: Sibi nec vnicum succurrere casum, quo subiectionem suam Imperio testati essent. (q)

§. XIIII.

Vltimo tandem id potestatis indicium excitant HARTKNOCH (a) & STRVVIVS (b), quod Prussos vel ordinem Imperatoris rescriptis & mandatis paruisse, & ad eum saepius prouocasse contendunt. STRVVIVS id de Prussis, HARTKNOCHIVS de ordine id adserit, prius adsertum, si euinci posset, plus probationi inseruiret, posterius paullo plus veritati. Quod enim primo ad mandata attinet, tria expedienda sunt: allatos casus esse reuera mandata, esse de Prussia, esse

Mandata Caesaris in Prussiam, Prussorumque ad eum prouocatio.

D

(k) Schütz. *p. 170.* (l) *Idem p. 191.* (m) Lengnich *l. c. p. 281.* (n) *Idem p. 282.* Schütz. *p. 194. a.* (o) Schütz *L. IIII. p. 182. a.* (p) *In Dipl. p. 17. Priu. Pruss.* (q) *In Dipl. apud* Ludwig. *nöth. Beyl. zum V. P. p. 4. Conf. Cel.* Gütther *nostras Thes. VIII. Thes. var. de ao 1734.*

(a) Hartknoch. *A. u. N. P. p. 620. & Diss. de Rep. Veter. Prussor. §. XVI.* (b) Struuius *in Iur. Publ. Prud. cap. IIII. §. 14.*

esse eis satis factum. Si enim primum deficit, negotiumque non nisi persuasorium est, inter liberas quoque gentes locum habet; si secundum abest, nec nos tangit, nec contra nos quid probat; si tertium desideratur, nudum Imperatoris conatum absque effectu loquitur. Si haec ad exempla referimus, quae habet HARTKNOCH, omnia sua mole corruunt. Primo nos remittit, ad mandatum Statibus Prussiae missum, quo eos ad rumpendam cum Polonis pacem incitat. Sed male hic consulit auctoritati Imperatoris HARTKNOCH, si enim vel maxime hoc vere mandatum fuisse credas, contradixisse tamen huic vnanimiter Status, nec vmquam paruisse, narrat SCHÜTZIVS (c). Sed adhuc minus euincitur altero HARTKNOCHII loco. Erat duplex Alberti Caesaris legatio ad ordinem & Status, vt eos quoque ad bellum & foedus contra Polonos induceret. Sed hos legatos non mandantes, sed persuadentes, immo fere petentes depingit historia. Nihilominus nec his omnibus quid effectum esse, bellumque declinatum, ipse excitatus SCHÜTZIVS (d) narrat. Tertium quod opponitur exemplum (e) ea attingit tempora, quibus Prussia iam in clientela Polonica erat, vbi Imperatoris mandata nullam amplius vim habebant, praeterea hoc mandatum personam maxime Magistri respiciebat, cui praestatio homagii prohibebatur. Immo totum hoc mandatum non nisi simulatum fuisse negotium, ab ipso Magistro expetitum, ad quod non tam ex mandato Imperatoris quam ex sua, ante Imperatoris mandatum, data equitibus promissione impellebatur, nemo ignorat. Huc proinde pertinet, quod ipse addit HARTKNOCHIVS, (f) ordinem adhaesisse Imperatori, si ab eo consilia in periculo exspectabat, e contrario surdum fuisse ad eius mandata, si is aliquid ex ordine poscebat. Et ad hoc adfertum, quod quoque confirmant praeterea contra sentientes GOLDASTVS (g) & SPENERVS (h) se quoque referunt, quae HARTKNOCHIVS & STRVVIVS de prouocatione ad Imperatorem habent. Quod enim hic Prussos ad Imperatorem vmquam prouocasse dicit, ei omnia ab eo adlegata

(c) Schütz. *L. III. p. 127. a.* (d) Idem *L. III. p. 130. a.*
(e) Schütz. *L. VIIII. p. 410. a.* (f) Hartknoch, *loc. cit.*
(g) Goldastus *de Regno Bohemiae L. II. C. XVI. p. 236.*
(h) Spener, *Iur. Publ. Tom. IIII. p. 209. n. e.*

legata loca contradicunt; ordinem autem prouocasse, eo minus mirandum esset, quia ex SCHÜTZIO (i) excitata loca, prouocationem ordinis in illud tempus ponunt, quo auxilio Imperatoris & Germaniae, Fridricus & Albertus Prussiam, quae iam feudum Poloniae erat, rursus Sarmatis eripere studebant. Nec itaque Germaniae Ius aliquod tribuerent, nec aliud, nisi de opinione & forsan voluntate prouocantium testimonium ferrent, qui ipsi solo suo adsensu Germaniae nullum ius addere possunt. Vltimus ex SCHÜTZIO (k) productus locus, nihil minus, quam prouocationem ad Imperatorem loquitur. Excipiebat ordo in pacto & foedere cum Pomeraniae Duce de auxiliis inuicem ferendis sancito, Imperatorem & Pontificem, contra quos Pomeranis auxilio esse nolebat. Sed quid frequentius in foederibus offendentibus & defendentibus inter liberas gentes est, quam tales contra certas tantummodo gentes restrictiones. Et quid clientelae & protectioni Imperatoris ordini praestitae magis erat conueniens, quam pactis suis se cauere ordinem, ne defensorem suum aggredi cogeretur.

§. XV.

Sed quis non crederet, Prussiam fuisse Imperio subiectam! si inter Status Germaniae fuisse probari possit, quod volunt MATTENBERG, (a) STRVVIVS, (b) SPENERVS (c) & forsitan MÜLLERVS. Interfuisse enim Comitiis Norimbergensibus, ao. MDXXIIII. & referente SLEIDANO, (d) vt Principem Imperii locum habuisse, obiiciunt. Quum ergo DVELLIVS, (e) & GLADOW (f) Prussos antequam Polonis subiicerentur, votum & sessionem habuisse in comitiis narrent, quumque negari non possit, pro vero Statuum Imperii charactere iure venditari Ius comitiorum (g) non tantum Vasallagium sed Praesentia Magistri in comitiis Imperii.

(i) Schütz. *L. VIIII. p. 400. & L. X. p. 458.* (k) Schütz. *L. II. p. 85.*

(a) Mattenberg *de statibus Imper. exemtis. §. XVII.* (b) Struuius *l. c.* (c) Spener. *l. c. p. 30.* (d) Sleidanus. *L. VI. c. f.* (e) Duellius. *p. 11.* (f) Gladow. *in der R. Hist. p. 420.* (g) *Quod latius* Cocceius *de charactere Statuum Imp. Sect. II.* & Struuius *Sen. de requisitis statuum.*

ſed proximum cum Imperio nexum quis inde concluderet. Sed ſicuti primo praeſentia Alberti in comitiis ſeſſionem, antequam Pruſſia ſubiiceretur Polonis, non probat, quae incidit in annum MDXXIV. ita quidem ordinem propter terras Germanicas & Italicas ſuas locum habuiſſe in comitiis ex GOLDASTO (h) de. ao. MCCCCXXXIV. & VENATORE (i) de anno MDXXI. nouimus, propter Pruſſiam autem id nullibi relatum legimus. Porro antiquis temporibus qualitas ſtatus & Principis Imperii, non territorio ſed perſonae adhaerebat. (k) Si itaque vel maxime Magiſter ordinis locum habuerit, idque nec fuiſſet propter terras Germanicas, nihilominus tamen hoc ad ſubiectionem Pruſſiae probandam non ſufficeret. Quod autem ad praeſentiam ſpeciatim Alberti attinet; praeſentia in comitiis ſola non probat, aliquem eſſe ſtatum Imperii; multos enim exteros ſaepe Reges iis interfuiſſe adnotauit HEERDEN. (l) Nec vnicus itaque actus, qualis hic, ſed praeſentia & vocatio ordinaria ſeu ius comitiorum Statum Imperii aliquem eſſe indicat. (m) Sed Albertum tum non ſuo iure ad Comitia vocatum, ſed tantummodo auxilii petendi cauſſa adueniſſe, ipſe non negat SLEIDANVS. De vocatis Pruſſorum ciuitatibus ad comitia iam alibi actum eſt, (n) tentabant his illecebris Germani Pruſſicas ciuitates Polonis ſubtrahere. Quum autem & ipſi Iurispublici doctores non vocationem ad comitia, ſed ius comitiorum, ad ſtatum Imperii requiri, expreſſe contendunt, nullum quoque ex his Pruſſiae libertati praeiudicium accreſcet.

§. XVI.

Pruſſi in matricula Imperii comprehenſi ſunt.

Sed in matriculam quoque Imperii illatum fuiſſe Magiſtrum Pruſſiae adfirmat STRVVIVS, & quidem in Comitiis Norimbergenſibus ao. MCCCCXXXI. matriculam eſſe decretam, quam exhibet SCHILTERVS

(h) Goldaſtus *Conſtit. Imp. Tom. III. p. 441.* (i) Venator. *p. 27.* (k) Cocceius *l. c. Sect. III. §. XIX.* Limnaeus *L. I. C. VII. n. 96.* Reincking. Sprenger. &c. (l) v. Heerden *Grundveſte des H. R. R. Part. I. C. V. p. 40.* (m) Struuius *Diſſ. all. §. XII.* (n) *Diſſ. all. §. XXVI. vid.* Schütz. *L. IX. p. 402.* Hartknoch. *Alt. u. N. P. l. c.*

TERVS (a) & DATTIVS, (b) in qua: *Item die Slesien Fürsten und Herren, daß Land zu Lusitz, und die VI. Stett, und der Hocmeister von Prussen, söllent ein Here, und ein Wagenburg haben, und iren Strit bestellen.* Hic igitur rem nostram iam perditam putabit, qui cum LIMNAEO, (c) OTTONE (d) & aliis illationem in matriculam iura statuum & subiectionem probare statuet. Sed quemadmodum falsissimum est illud dogma LIMNAEI & OTTONIS, nec ex matriculis vlla ratione probari potest, quemdam esse vel non esse statum Imperii, quod STRVVIVS, (e) COCCEIVS (f) & alii docent, nec minus GYLMANNVS (g) in probatione Status & subiectionis matriculis omnem abnegat fidem. Ita & hoc certum est, nullam nos habere matriculam statuum & terrarum Imperio subiectarum sed tantum contributionum, quod ideo probe tenendum est, quia ipse opponens STRVVIVS (h) addit, Prussiam nec vmquam feudum Imperi fuisse, nec ad onera Imperii aliquid contribuisse. Matriculas autem omnes, quas habemus, minus accuratas esse, conqueruntur Principes Imperii, & Iuris publici doctores. (i) Ea, quae nobis obiicitur, omnium prima est, at omnium quoque ineptissima. Nec sibi in mentem induxerat Sigismundus, consignationem statuum Imperii conscribere; sed id imprimis agebat, vt opes conquireret & copias, ad Hussitarum insultus reprimendos, vbi vicinos maxime & quos opem impendere optime credebat, consignabat (k). Hinc equites, qui tum Marchiam nouam tenebant, vocauit (l). Imprimis autem hoc contra Hussitas bellum relligiosum putabatur, quare & matricula: (m) *Ire Meynunge ist, nahdem die Sache alle Cristen Mönschen aneget, und darinne yeglich fromme Cristen bilig bilffet &c.* quare porro bellum hoc vbique in ma-

(a) Schilterus *Instit. Iur. Publ. Tom. II. p. 31. & 69.* (b) Dattius *de pace publica. L. I. c. 24. p. 169.* (c) Limnaeus *l. P. L. 1. c. VII. n. 91.* (d) Otto. *Ius Publ. c. XVII. p. 541.* (e) Struuius, *de requisitis Statuum Imp. §. V-VIIII.* (f) Cocceius, *de charactere Statuum Imp. Sect. III. §. XX.* (g) Gylmannus *Symphorem. Tom. I. Part. II. p. 238. n. 95.* (h) Struu. *fil. l. P. P. l. c.* (i) Mauritius *de matricul. Imperii &* Estor *de Iudice competente caussarum de exempt. Imper.* (k) *Conf. matricula ipsa.* Mauritius, Estor *& systhemata Iur. Publ.*

(l) Schütz. *p. 122. a.* (m) *Apud* Schilterum *l. c. p. 11.*

matricula contra haereticos geri dicitur, immo & ipſe ordo, teſte SCHÜTZIO, (n) vt contra haeriticos & relligioſum conſiderauit. Hinc ex hoc potius fundamento equites obſtricti erant, vi voti ſui, & ex regulis ordinis, hanc relligioſam adiuuare expeditionem, vbi in hac matricula copiis ſaltim eorum praeſcribuntur ſtationes. Accedit ipſos Huſſitas fuiſſe Pruſſiae hoſtes. Magiſtrum autem propter Pomerelliam & Marchiam nouam, membrum Imperii. Caeterum ſi Regem Daniae, Norwegiae, Sueciae, Poloniae, ex hac matricula Germaniae ſubiicies, (o) & magiſtrum Pruſſiae Imperio libenter ſubmittam.

§. XVII.

Germanica Pruſſorum origo, inſignia ordinis, miſſa auxilia.

Reſtant adhuc quaedam, quae, quum non magni ſint momenti, breuibus tangam. Obiiciunt tandem Pruſſis originem Germanicam, vnde eos ad occupanda vacua loca aduenisse nouimus, (a) obiiciunt quoque nobis ordinis & Magiſtrorum Pruſſiae dominorum Germanicam ſtirpem. Sed hac ratione, Galliam, Magnam Brittanniam &c. ex recentioribus Batauos, Heluetios, Tranſyluanos, & neſcio, quas non terras Imperio vindicare poteris. Irridet itaque hanc cauſſam ipſe SPENERVS (b), irridet recta ratio, quae hunc modum acquirendi per traducem neſcit. Multo autem minus Magiſtrorum & ordinis Teutonici ſtirps Germanica, quorum ſi perſonalis nexus cum Germania Pruſſiae libertati non obſtat, quod hactenus probatum dedimus pluribus, certe eorum progenies Germanis Pruſſiam non adiiciet. Nec mihi hoc nemo mouebit dubium, niſi qui Poloniam, Angliam, Sueciam immo & noſtro aeuo Pruſſiam, ex dominorum ſuorum e Germanica ſtirpe origine, Imperio euincere voluerit, in quo iterum conſentientem habeo SPENERVM (c). Alia autem iam nobis plus forſitan nocebit ratio, contra Pruſſiae libertatem. Dices, inſignia ordini data eſſe ab Imperatore, exercuiſſe proinde Imperatorem aliquid ſupremi iuris in Pruſſiam. Sed nemo hoc nobis obiiciet, niſi qui inſignium genealogiam, & rem heraldicam non ſatis ſibi familiarem reddidit. Exemplis

(n) Schütz. *l. c.* (o) *Vid. Matricula apud* Schilterum. *p. 41.*

(a) Acta Boruſſ. *Tom. I. p. 414.* Conring. *de finib. Imp. L. II. cap. XXVIIII. n. 33.* (b) Spener. *Ius Publ. Tom. IIII. L. III. p. 10. n. b.* (c) Spener. *loc. cit.*

emplis enim multis euinci posset, insignia atque ornamenta eorum data nullam loqui subiectionem, nisi insignia Prussiae ipsa rem satis expedirent. Praeterquam enim, quod Imperatorem non Prussiae, sed ordini insignia tribuisse constet (d), insignia insuper prima (crux nigra) ordini a Pontifice Romano, Coelestino III. data sunt, addebat huic nigrae auream crucem Iohannes Hierosolymarum Rex. Quibus deinde quidem Imperator aquilam nigram adiungebat (e), tandem tamen quoque Ludouicus VIIII. Gallorum Rex quatuor lilia eis inseruisse ao. MCCL, inter omnes notum est (f). Dabantur haec omnia ordini ob facta illustria. Si itaque ab insignibus ad clientelam valeret conclusio, eodem iure sibi Francorum Reges cum ceteris, Prussiam vindicare possent. Porro tandem auxilia petiisse ordinem ab Imperio, referunt ordinis fautores, reique Germanicae id fauere putant (g). Sed quum non Prussos, sed ordinem auxilia semper, idque ex protectione ordini debita Imperatoris petiisse, ea autem ab Imperio, (non a Principibus Germanicis) nunquam impetrasse constet (§. II. III.); quum praeterea nec missa quidem e Germania auxilia, Iuri Imperatoris prosint, quod ex professo alibi monstraui (h), multo minus petita tantum auxilia proderunt, quum ea, & inter liberrimas gentes peti & praestari (§. III.) atque non ex clientela tantum, sed & ex foederibus & pactis profluere posse, satis iam indigitauit SCHWEDERVS (i).

§. XVIII.

Actus Imperii post Prussiae saecularisationem.

Haec essent, quae ad exercitium Iuris Germaniae in Prussiam probandum promi vel fingi posse crediderim, quibus pro viribus resistere annisus sui. Nihil itaque superest, quam quod de iis Imperii Rom. Germ. in Prussiam conatibus aliquid addam, quos post

(d) Hartknoch. *Alt. u. N. Pr. p.* 258. 2. (e) Waisselius *Chron. Pruss. fol.* 39. 45. 46. (f) Henneberger. *im Alt. Preuss. in vita Conradi Landgr. Thuring.* (g) *Autor des Preussischen Abfalls, & des abgenoehtigten Grauaminis.* (h) *Diss. mea, saepe all. §. XVIIII.* (i) Schwederus *Theatr. Praet. l. c. p.* 118.

poſt Alberti ab ordine diſceſſum contra Pruſſiae libertatem tentatos fuiſſe reperimus. Non quidem negari poteſt, hos ſolos rei noſtrae nil eſſe derogaturos, quum non exercitium actuum poſſeſſoriorum in effectu fundatum, ſed conſeruationem Iuris, quod antea competiiſſe ab aduerſariis prius probandum eſſet, ſupponerent (§. III.). Quia tamen & his ipſis multa praeterea oggeri poſſunt, nec ea intermittere volui. Nec quidem id a veritate abludit, equites, quum Pruſſia eis iam plene eſſet erepta, omnem mouiſſe lapidem, vt Imperio perſuaderent, eam Germaniae ereptam eſſe; Quare & ipſi iuribus ſuis in Pruſſiam ſedulo inſtare, nec non omni orbi id perſuadere, & querelis, ac ſophismatibus Imperium inducere anniſi ſunt, vt aliquid contra Albertum decerneretur. Quae proinde poſt Alberti ad ſaeculum reuerſionem huc pertinere viderentur, ſi curatius examinamus, vel Imperii contra Albertum decreta, vel ſaltim ordinis conatus produnt, quae quidem duo a plurimis confunduntur, ſtudio tamen hic diſtinguenda ſunt. Quod itaque primo ad priora, quum poſt Pruſſiam amiſſam equites Teutonici in Germania innumeris Imperatorem fatigaſſent precibus, obtinebant tandem, vt Pruſſia nouiter electo Magiſtro ab Imperatore Carolo V. in feudum daretur (a), quod & poſtea ad noſtra vsque tempora quidem repetitur, ſupra autem iam a nobis ſub examen tractum eſt (§. XIII.), quare iam his non immorabor. Obtinebant porro, quod Imperator pacta inter Polonos & Albertum ao. MDXXX. reſcinderet, immo hunc tandem ao. MDXXXII. proſcriberet (b), cuius quoque banni exſequutio, quamuis absque effectu, decernebatur: & quod, intercedente licet Polono, non ſublatum fuiſſe docet GOLDASTVS (c). Sed praeterea quod haec omnia ad inſtantiam ſolummodo ordinis decreta ſunt, tangit quoque bannum ſemper non niſi perſonam proſcripti, non propterea tangebat Pruſſiam, hocque eo magis, quum reſpectu Imperii, Pruſſiae conditio tum temporis nulla plane ratione mutata

(a) Venator. *p. 243. ſqq.* Duellius *l. c. Part. I. Sect. VI. p. 46.* (b) Sleidanus *L. VI. p. 185. & L. VIII. p. 211.* Goldaſt. *Conſtit. Imp. Tom. II. 210. 212.* (c) Idem *in den Reichs-Händl. p. 18. ſqq.*

mutata esset. Sicuti enim iam ab ao. MCCCCLXV. Prussia in clientela Poloniae erat, ita tempore banni huius haec clientela tantummodo a magistro ordinis ecclesiastici ad Ducem saecularem deuoluebatur. Immo si iam antea diu Prussia in clientela Poloniae fuit, ipsa Germaniae publica iura docent, bannum hoc respectu Prussiae nullum esse, quia extra fines Imperii non valet (d), & nullum tandem restabit dubium, si videbimus, quam ob rationem bannum fuerit in Albertum decretum? Adnotat ipse contra sentiens CONRINGIVS (e), id non esse factum ob Prussiam Imperio abreptam *nec hoc vitio datum*, inquit, *Alberto & reliquis Cruciferis, quod ille in fidem iterum Poloni rediisset, more multorum decessorum, quam quod passus esset, bona ordinis in haereditariam possessionem sibi tradi.* Non itaque bannum ad conseruanda Imperii in Prussiam Iura, sed contra Alberti ab ordine defectionem, ab Imperatore ordinis protectore editum erat. Post haec tempora praeter infeudationes adhuc quidem excitare solent aduersarii Diploma Ferdinandi, (f) sed de hoc iam alibi egi (g). Proiectum illud, quod dicunt, capitulationis perpetuae, quod tamen numquam auctoritate publica firmatum, nec nisi scriptum priuatum est; Immo tandem ipsas Imperatorum capitulationes, vbi terras Imperio abreptas ei reddere obstringitur, in quibus tamen nulla Prussiae mentio sit, proinde circulus in probando committitur, hic nullius esse momenti, quisque videt.

§ XVIIII.

Actus ordinis ad sua conseruanda iura, & mediati Imperii.

Quod autem *secundo* ad actus ab ordine in conseruationem Iurium suorum editos attinet, etsi huc pertinerent, multa tamen iis opponi possent. Mouerant quidem Equites Teutonici in principio omnem lapidem, ad Prussiam sibi reddendam (a) immo postea quibusdam quoque temporibus, vti ao. MDCXXV. MDCXXVII. (b) MDCLIII.

E

(d) Ludwig *Verthaid. Preuss. p. 156.* (e) Conring. *de finib. Imperii L. II. c. XXVIIII. n. 33.* (f) Duellius *l. c. Part. II. p. 32.* (g) *Diss. saepe allegata* §. *XXIII.*

(a) *Vid.* Sleidan. *L. XX. Commentar. in pr.* Thuan. *L. V. p. 232.*

(b) *Vid. Erneuerter Bericht vom Preussischen Abfall.*

MDCLIII. (c) ao. MDCCI. (d) non tamen vmquam opportune, ius suum protestationibus & scriptis seruare annitebantur; sed praeterquam quod eos iure ex Prussia expulsos esse, ideoque iis nulla remansisse iura, quae conseruarent, satis iam in lucem ab Illustr. Dom. de LVDWIG. (e) positum sit: Sic quoque semper, iusta & opportuna intercedente occasione, vt in Pacis factionibus, relligiosae, Pragensis, Guestphalicae, Oliuiensis obmutuisse, ideoque iura sua neglexisse, iam obseruarunt idem Illustr. LVDWIG. (f) & SCHWEDERVS (g). Sed quicquid sit, actus hi omnes nos nulla plane tangunt ratione. Non mens est libertatem Prussiae contra ordinem, sed contra Imperium Germanicum defendere, nec actus proinde ordinis sed Imperii possessorios subruere. Nec valebit obiectio, per hos actus Imperium Ius suum mediate per ordinem conseruasse. Quisque enim suis actibus sua saltim conseruat iura, nec ordinis cum Imperio nexus id inuoluit, quod actus ordinis sint actus Imperii, & possessiones ordinis extra Germaniae fines, eo ipso quoque Imperio subsint (h). Actus itaque hic mediatus nullus, nec plus valet, quam alter, quo Imperator Ius suum in Prussiam exercuisse, per exercitium iuris in Polonia, cui parebat Prussia, dicitur. Iam quidem alibi monstraui, per hoc ligamen Imperio non acquisitam esse Prussiam (i) & quae ibi monui, huc quoque trahenda erunt. Prussiam enim *primo* ante annum MCCCCLXV. Poloniae numquam subiectam fuisse, certissimus sum, reique huius probationem alii tempori referuo. Sed si vel hoc verum non esset, Conradus tamen Masouiae Dux ius supremum in Prussiam Hermanno a Saltza donauit & tradidit, & inde Prussiam ita a Polonia separauit, vt si vel maxime haec fuisset subiecta Imperio Germanico, id tamen nil in Prussia efficeret, & actus possessorii in Poloniam exerciti

(c) Pfanner *Histor. Comitior. L. IIII. § 33.* (d) Abgen. Grau. wider die Koenigl. Würde in Preuss. (e) Ludwig. *in Vertb. Preuss. per tot.* (f) Ludwig. *l. c. p. 59. sqq. p 61. 64 &c.* (g) Schweder. *Th. Pr. L. III Sect. LIII. c. I p. 881.* (h) *Diss. mea all. §. XIII. sq.* (i) *Diss. all. §. XII.*

citi proinde nulla ratione Prusſiam tangerent, cui id addit Illuſtr. Dom. de LVDWIG. (k) Prusſiam, quocumque demum nexu Polonia cum Imperio iuncta ſit, tamen ab eo bello particulari ſuo fuiſſe acquiſitam, quo autem ſtatuum Imperii occupationes numquam Imperio addi nouimus (l). Sed *ſecundo* inprimis rem expedit, quod habet CONRINGIVS (m), tempore nempe occupationis Pruſſiae Poloniam ab Imperio iam ſe ſeparaſſe. Quare & HOFFMANNVS (n) poſt Fridrici II. tempora, nulla amplius Iuris Germanici in Poloniam exerciti documenta reperiri obſeruauit.

§. XX.

Si haec omnia hactenus prolata veritate nituntur, ſua ſponte iam corruet diſſenſus Iuris publici doctorum, an per derelictionem Imperium Pruſſiam amiſerit, corruet diſquiſitio de iuſtitia huius derelictionis. Derelictam enim ab Imperio hactenus Pruſſiam eſſe, negare videntur, VITRIARIVS (a) SCHVRTZFLEISCHIVS (b) Autor libri quarti de Finibus Imper. (c) aliique. Adſtruere e contrario illud allaborant SPENERVS (d), CONRINGIVS (e), BOECLERI, auus (f) & nepos (g) STRVVIVS (h), KEMMERICHIVS (i), SCHWEDERVS (k), & plurimi. Omne cadit hoc diſſidium, ſi Prusſia numquam Imperio ſubiecta fuit. Derelictio enim non concipitur, niſi dominium ponas, nec opus eſt longiori derelictionis probatione, ſi rem numquam in

De praeſcriptione Pruſſiae & concluſio opuſculi.

(k) Ludwig. *Hall. Anzeigen. l. c. p. 387.* (l) *Diſſ. all.* §. *XIII.*
(m) Conring. *de finib. Imp. L. II. c. XXVIIII. n. 26. 29.*
(n) Hoffmann. *in Iur. Publ. Interregni.* §. *IIII. p. m. 9.*

(a) Vitriarius *Inſt. Iur. Publ. L. II. c. IIII* § *III.* (b) Schurtzfleiſchius *in rebus Pruſſor. diſſ. II.* §. *VIII. n. b.* (c) *Qui dicitur eſſe* Franckenſtein. *in L. IIII. ad Conring. p. m. 66.*
(d) Spener. *I. P. l. c. p. 70 n. d.* (e) Conring. *l. c. n. 33.* (f) Boecler. *in not. ad* Grot. *l. c.* (g) Boecler. *in Iure Imperii in Liuoniam amiſſo.* (h) Struu. *Iur. P. P. c. IIII.* §. *16.* (i) Kemmerich. *I. P. L. I. c. XVII.* §. *7.* (k) Gabriel. Schweder. *I. P. L. I. c. XXXI.*

in dominio fuisse dixeris. Praeterea nec facile consuli poterit rationibus vtrinque prolatis, nisi Prussiam Imperio numquam subiectam fuisse dixeris. Quis enim credet, Imperium iura sua in Prussiam conseruare voluisse, quum auxilia mittenda occasionemque eam recuperandi neglexerit, nisi forsitan eum de iure suo dubitasse dixeris. Quis e contrario putabit, Imperium sua iura relinquere voluisse, si iura illa in Prussiam tam certa, tam euidentia fuissent, vt mittendo auxilia, non nisi iustissimam defensionem in se suscepisse videretur. Quisque potius, nisi summam hic negligentiam Imperio tribuere velit, sibi persuadebit, hoc inde profluere, quia, quod ipsum Imperium testatur, Prussia nec Imperii membrum sit nec constet, an Magister membrum Imperii esse velit (l). Quo itaque te vertas, vero non dissimilia reperies documenta, quae sententiam nostram, quam vtraque dissertatione de numquam Imperio subiecta Prussia stabilire volui, firmant & forsitan extra dubitationis aleam ponunt. Interim quum vnicuique aliter sentiendi sit potestas, dissensum feram, contradictiones autem oppositas diiudicandi & sententiam dicendi, mihi quoque erit concedenda potestas. Praecipua in his argumenta me tetigisse blandior, si in posterum alia prodibunt veritatis speciem quandam prae se ferentia, ea quoque sub incudem reuocare licebit. Contentus tandem eo, quod Philosophia Iureconsultorum me edocet, pro libertate semper maiorem dimicare veri similitudinem.



(l) Recess. Imp. *de ao. MDXII. §. XXVI dem Hoffmeister in Preussen.*